


C. S V E T O-  
nii Tranquilli  
XII CAESARES.

ACCESSIONT:

HENRICHILORITI  
GLAREANI, PATRICII  
Claronensis, in eundem Annota-  
tiones, nunquam ante-  
hac editæ.



Cum Cæs. Maiest. gratia &  
priuilegio.

BASILEAE, PER HEN-  
ricum Petri, 1560.

*Quam fœda sit super-*  
*gastulum conclusit.* Eadem superbia hominem in  
 hac miseria constitutum ita sæpe occœcauit olim,  
 atq; etiamnum hodie multos occœcat, ut oblixi suæ  
 imbecillitatis, ad id dementiæ uenerint, ut se Deos  
 crederent, ac adorari pateretur: imò quidam etiā,  
 homines ut se adorarent, coegerunt. O' admiran-  
 dati mentis cæcitatem, imò o' ingentem stulticiam  
 ac temeritatem: Homini, miserrimo animalculo,  
 quo non est aliud calamitosius, ad hoc dementiæ  
 deuentum esse, ut morti omni momento subiectus,  
 se Deum crederet, ac adorari permitteret, ab eo,  
 qui sæpe melior, sæpe honore dignior fuerit? Nō  
 ne hoc monstro simile est? Atqui dicet aliquis, Nō  
 dum audimus, quò tandem uelis. Dicam, dicam in-  
 quam, sed inconditè, attamen ut intelligar.

Enarraturus sum emunctissimæ naris authorē  
 C. Suetonium Tranquillum, qui uitam scripsit xii  
 (quid nominis adiungam?) Cæsarum? Si Cæsar  
 à cædibus dictus est, ut quidam perhibent Gram-  
 matici, uerè Cæsarum adiunxero. Quid si dicam  
 xii Latronum? mentiar' ne in Nerone, Tiberio,  
 Caligula ac reliquis? Quid si dicam uitā xii mon-  
 strorum? Ut ipse Trāquillus de Caligula dicere au-  
 sus est. Quid si plusquam monstra eos appellitem?

Qæ

Quæ enim monstra tantas clades mortalibus attulere, atq; unus Iulius? nocens sanè fidus uniuerso mundo: ut ante eum Magnus ille Alexander, Pella Philippi propago. Calydonius aper scilicet in Aetolia, aut in Nemeæ sylua Herculis trophyum leo, plura hominibus detrimenta attulere? non hercule. Apagesis, hic meritò quis clamet. Tu Diuos Cæsares mōstra facis? Quis ferat hæc? Non times ipsorum diuinitates, & ultiōnū flagella? Ut nucis incensæ crepitum timeo. Ego' illos monstra facio? Ipsifē, nec quisquam aliis eos monstra fecit. At Diui sunt. Quis eos Diuos fecit? Merita illorum. Quæ merita? Atrocitas, auaritia, Barbarica tyrannis, cædes, crudelitas, dementia, fastus, furtæ, gula, ira, inuidia, immanitas, libido, rapinae, stupra (iam spiritus me deficit). Hæc sunt præclara horum Cæsarum opera. Rursus dicet aliquis: In hisce nōnne aliquid boni fuit? Fortassis. At tam parū implerisq; ut id ad uitia comparatum, semper minimum fuerit. Ad quod ostendendum, statuamus inquam ante oculos nostros primum illorum Iulium Cæarem, insigne, si dijs placet, magnorum uiorum, ut quidam scripsere, exemplum. Age age uide totum quod de eo scripsit Suetonius uolumen. emoriar, si non ad unum omnes eius tituli habent perniciōsam ambiti onem, hoc est desideriū ad id quod nactus est, nempe Imperium per summū ne-

fas quæsitum, per ciuium suorū sanguinē, ac Rei-  
publice oppressionē euertere, ut regnet solus. Ad-  
de aliud in humanum genus meritū. Undecies cen-  
tena millia, non connumeratis ciuib⁹, armis ceci-  
dit. Quid uobis uidetur de hoc in mortale genus  
merito? Adde iuuenile dedecus, quod à Bithyniæ  
rege Nicomede stupratus: adde furt⁹, tria millia  
auri pondo in Consulatu suo ex ærario clam sur-  
repta, ac tantum inaurati æris repositū. Adde om-  
nia fana ac templa in Gallia spoliata, oppida se-  
ctionibus uendita ob nullam culpam, sed ob præ-  
dam, ut de eo hic noster scripsit Suetonius. Deniq;  
adde immensam illam profusionem in meretrices,  
ædificia, arcam pro foro extruendo, & mille alia  
quæ de animosissimo hoc corruptore Authores cō-  
memorarunt. Accedat angustus ille Augustus,  
omnium Principum maximus, omniū Principum  
infelicissimus. Qui si nihil unquam mali fecisset a-  
liud, quam quod in triumuiratu suo, cum duobus  
insignibus latronib⁹. inito, Ciceroni exitio fuit, in-  
ter malos numerari meruit. Sed longè maius pecca-  
tum fuit, quando priuignum Tiberium coegit, ut  
prostitutam ipsius filiam Iuliam, abdicata ac reie-  
cta Agrippina uxore, ex qua iam liberos habebat,  
duceret. Vnde in domū Iuliam omne dedecus, om-  
nis deinceps calamitas irrep̄sit, ac Tragica illa exē-  
pla, plena omnis crudelitatis, ac monstroſe libidi-

nis nata sunt. Tiberius enim in omne prolapsus flā  
gitium, Caligulae, Claudio ac Neroni omnium ne-  
quitiarum fons rectissimè dicitur. Verū hæc om-  
nia ex Iuliæ prostitutæ nuptijs, & Augusti im-  
modico in suum sanguinem affectu ortum habent.  
Sed ita natura cōparatum est, ut quanto simus sor-  
didiores, tanto cupimus uideri honoratores. Juno  
nius ille puer, cuius auus fuerat argentarius, adstū-  
pulator pater, & reliqua apud Ciceronem, anti-  
quissimi ac nobilissimi stemmatis uideri uoluit, &  
ab ipso authoritatem capere priuignum. Sed miri  
ficè administravit Imperium, ac ex lateritia urbe  
marmoreā fecit: ita enim gloriari solebat. Audio.  
Deus hoc fecit, neq; Romanorum, neq; ipsius Au-  
gusti meritis: sed quia in pace nasci uoluit humani  
generis redemptor C H R I S T U S, Esaie 11. Augu-  
stus scilicet ipse, de cuius miseria & libro Pli-  
nius cumulatissimè differit, tantam rerum molem  
illo imbelli corpore rexisset? Verū de illo, cum  
multa alia pessima referre possemus, loqui desi-  
gnam: qui cum pessimus fuerit, longè tamen peiores  
post se, culpa tamen ipsius, reliquit, uera hominū  
monstra. Quid enim de Tiberio dicam? hulcerō  
so in omnem inuidiam animo, quo nihil unquā fu-  
catius toto terrarum orbe, nihil nocentius, nihil  
turpius uixit. De eo sane, quod uix latine dixeris,  
nostra lingua ornatiissimè dici poterit: Ein ab-  
gfeimpt,

gſeimppter, eerloſer, gnichtiger bößwicht. Si licet  
græca immiscere latinis, ſäpe etiam apud non in-  
telligentes græca: cur non liceat inserere Celtica  
ac Germanica non minus uetustæ linguaæ uerba,  
apud intelligentes? Sed pudet plura de eo Diuo:di  
xiſſem libentius, von dem leidigen Tüſel. Produ-  
catur Caligula Imperator, merdosus ille puſio,  
Das ſchantlich physickgückly, pudēda Germani-  
ci Cæſaris progenies. ut uerum ſit, quod prouer-  
bio dici ſolet: Heroum filij noxe. Ex æquo ridicu-  
lus hic, atq; Tiberius fuit, crudelis ac prodigus in  
ſummo. Itaq; nihil ſatis contumelioſe in eum dici  
potest: ſuperat enim omne conuicium eius impro-  
bitas, nequicia ac ſtulticia. Claudium, porcum  
illum ſtolidum, & boleto, quo perijt, leuiorem ac  
inaniorem, cum ſua Meſſalina, omnis libidinis por-  
tent, ac Agrippina, ſcelerata illa uenefica, duas  
bus Charybdis ac Scyllis, tranſeo. Arripite mi-  
hi quæſo Neronem, illum bipedium omnū nequiza-  
ſimum, cuius iniqüitas ac ſcelera etiā pueris et mu-  
lierculis nota ſunt, uix dignus qui ab quoquā no-  
minetur: ideoq; et hic transmittēdus, una cum Gal-  
ba, Othone ac Vitellio, tribus Plutonij Cerberi ca-  
pitibus. Cui enim monſtro potius comparabuntur  
helluones illi, bibones, comedones, lurchones, ab-  
domines, uentres, brasser, ſchlemmer, pfuſer, ſchlu-  
ckers. Vespasianus ac filius eius Titus eximi po-  
terant,

terant, si pater non auaritiae infamia, filius non Be  
renices ac spadonum amore laborasset. Deniq; si  
Domitianus teterrima belua utriusq; fama ac deco  
ra non detur passet: in quo uno Domitiano tantum  
scelerum fuit, ut cū omnibus ante se flagitiis Cæ  
saribus certare potuerit. Hi inquam, ( quomodo d  
gne nominabuntur? ) hi inquam humanarum re  
rum alasores, id est nocentissimæ pestes, quibus mo  
dis nacti sint Diuorum titulos, iure super omnia  
miranda mirum uideri potest. Cogitet secum optimus quisq; in animo, ac diligenti examine perpen  
dat, quomodo in hanc cæcitatem peruenire unquā  
mundus potuerit, ut huiusmodi portenta pro Dijs  
coleret, ac adoraret, etiamnum in scabiosa pelle  
obambulanteis, ac in humanis degenteis. Nam de  
Hercule, Theseo ac Libero patre, et quibusdam a  
lijs, qui multa in hominum genus bona cōtulisse di  
cuntur, minus mirum uideri poterat, quando ne  
mo in bene meritos ingratus uideri uelit. Nimiri  
magna & occulta aliqua tenebrarū potestas fuit,  
quæ ad hoc cæcitatibus homines compellere potuit.  
Eodem Sapientiæ libro, cap. 14. narrantur aliquot  
causæ idololatriæ: sed non est dubium, conniuente  
Deo ob hominum scelerâ, potuisse hæc humani ge  
neris hostem, diabolum: uerum Christi aduentu e  
ius potestas concidit. Miratur non uno in loco Ci  
cero, qui ante Christum aliquot annis uixit, qua-